



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

3. Aprilis. Cum omnibus quidem sed cum inferioribus præcipuè oportet esse in loquendo parcus, patientes in audiendo. Patulæ dandæ sunt aures, dum ille sensus animi sui omnes expressisse videatur. S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

cem Deus, nisi secum conjunctis, & hinc tam dispar tot Apostolorum fructus.

Si pulchris mentem sensis & egregiis veritatibus illustres, animus tamen turpi languore iners & ignavus torpeat, si indotus eorum, quæ doces, impellere alios ad honesta contendas, fructum à raucedine alium non expecta.

3. Aprilis.

Cum omnibus quidem sed cum inferioribus præcipuè oportet esse in loquendo parcos, patientes in audiendo. Patula danda sunt aures, dum ille sensus animi sui omnes expressisse videatur. S. Ignat. Hist. Soc. l. 3. n. 48.

A Mari animi querelas potuisse in fidas aures exonerare, sæpe remedium fuit morbi, qui credebatur incurabilis. Ita sæpe levâsse stomachum bile, est sanitatem recepisse.

Æger audiri debet, si errare nolit Medicus: nemo patiente novit meliùs, quia nemo sentit acerbius, quid patiatur. Felix Medicus, qui audiendo, si non curare, certè levare potest morbos. Crudelis, qui tam facili remedio juvare nolit.

Egeritur querelis dolor, & minuitur dum cum audiente dividitur; maxime afflictus non benignas modo aures, sed & amicam pectus inveniat, è quo natura molle verbum mitiget sensum doloris.

Novisse morbum curationis est fundamentum. Facilius corporis, quàm animi symptomata nosces, nisi æger prodatur. Non apta corpori Medicus, nec animo Superior pharmaca porriget, nisi patienter uterque audiat patientem.

4. Aprilis.

Hac sola ambitio justa est, Deum diligere & in ejus amoris pretium in amorem crescere. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. n. 26.

Amor est hominis felicitas, non illi cæcus animi motus, qui falsum pro vero bono apprehendit, hic deceptor et promittit voluptatem, & gustatus datur amaritudinem; sed rationalis ille, quod æternum, & incommutabile bonum amatur.

Vel atomus amoris Dei dulcior est quàm omne, quod orbis mentitur et amabile; hoc qui gustat, fastidit, illum nemo satis æstimat, nisi qui possidet; & perfruendo, plus appetit.